



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum**

**Heser, Georg**

**Monachii, 1657**

204. Discipuli Sabbato spicas confricant, & à Christo contra Pharisæorum calumnias vindicantur.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. *Ioan. 5. & 39. 40. 41. 42. 43.*

MEDITATIO CCIII.

*Didagma IX. Tertium testimonium divinitatis Christi à Moysè.*

I. **Q**uomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis? *Ioan. 5. & 44.*

II. Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem. Est, qui accusat vos, Moyses, in quo vos speratis. *Ioan. 5. & 45.*

III. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis? *Ioan. 5. & 46. 47.*

MEDITATIO CCIV.

*Didagma X. Discipuli Sabbato spicas confriquant, & à Christo contra Phariseorum calumnias vindicantur.*

I. **I**n illo tempore abiit Iesus per sata Sabbato. *Matth. 12. & 1.* Factum est autem

D. N. IESU CHRISTI. 189

in Sabbato secundo primo, cum transiret per sata, *Luc. 6. v. 1.* discipuli eius esurientes, *Matth. 12. v. 1.* coeperunt progredi, & vellere spicas, *Marc. 2. v. 23.* & manducabant confricantes manibus. *Luc. 6. v. 1.*

II. Quidam autem Pharisæorum dicebant illis: Quid facitis, quod non licet in Sabbatis? *Luc. 6. v. 2.* Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce, discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis. *Matth. 12. v. 2.* Et respondens Iesus ad eos, dixit: *Luc. 6. v. 3.* Nunquam legistis, quid fecerit David, quando necessitatem habuit, & esurijt ipse, & qui cum eo erant? Quomodo introiit in domum Dei, sub Abiathar principe sacerdotum, *Marc. 2. v. 25. & 26.* & panes propositionis sumpsit, & manducavit, & dedit his, qui cum ipso erant: *Luc. 6. v. 4.* quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus. *Matth. 12. vers. 4.*

V. III. Aut non legistis in lege, quia Sabbatis sacerdotes in templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis, quia templo maior est hîc. Si autem sciretis, quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes. *Matth. 12. v. 5, 6, 7.* Et dicebat eis:

eis: Sabbatum propter hominem factum est; & non homo propter Sabbatum. Itaque Dominus est filius hominis, etiam Sabbati. *Marc. 2. v. 27. & 28. Luc. 6. v. 5. Matth. 12. v. 8.*

## MEDITATIO CCV.

*Didagma XI. De sermone Christi habito in monte: ac primum, de octo Beatitudinibus.*

I. **V**idens Iesus turbas, ascendit in montem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. *Matth. 5. v. 1.* Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, *Luc. 6. v. 20.* aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram. *Matth. 5. v. 2. 3. 4.*

II. Beati, qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur. Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur. *Matth. 5. v. 5. 6. 7.*

III. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quoniam filii Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem

pati-